

1749.

1. Beckhberg, Cas. Otto, Collegii juridici seniori: Programma, quo ad Fr. Siegfriedi Ackermannii . . . memoriam celebrandam invitatur.
2. Aland, Georgius David: Res regum et imperatorum Germaniae - Romanorum, stirpis bronicae, cum Polonia, ex idoneis monumentis collectae. Programma, orationis auspicali praemissum.
3. Boechme, Jo. Gottlob: De Frigide Suevis olim culta.
4. Boechmer, Georgius Rudolphus: De plantis caule bulbifero.
5. Helzer, Jo. Hieronymus: Vimentalis iniqu. ad legem Laetorianam.
6. Hommelius, Carolus Ferdinandus: Grammaticarum observationum juris civile illustrantium specimen.
7. id. Hommelius, Ferdinandus Augustus: De lethaliitate vulnerum et inspectione cadaveris post occisum dominum. 2 Junii 1749: 1765.

1779.

8. Zachmann, Johann Gottlieb: De generis characteribus
9. Keestner, Abraham Gotthelf: De gradu et mensura
probabilitatis " simulque praedictiones suas indi-
cat.
10. Mencken, Augustus Ludovicus: De vera in dale litte-
rarum obligationis et exceptionis non numeratae
pecuniae.
11. Mylius, Augustus Hermann, Jac. Jus praecancellarius:
De curiis. Programma, quo inaugurationem Jo. Hilt-
brunni Helgeri in d. ut.
12. Richterius, Jo. Tobias: Marchionatus Lusatici
Superioris Jus singulare homines proprios man-
uissimos revocandi.
13. Richterius, Jo. Tobias: Selectiora juris principia 15
14. Richterius, Jo. Tobias: Selectiora juris principia 10

1749.

15. Richterius, Jo. Tobias: Selectiora juris principia
11.
16. Rivinus, Joh. Florus: Problema juris Saxonici:
An citricus murguis gerundam in legitimam
impubere possit, nec ne?
17. Rivinus, Joh. Florus: De juramento documen-
torum noviter repertorum.
18. Samuel, Joann. Gualfridus: Exercitatio juris civilis
exhibens receptas lectiones ad Tanchinum. II.
19. Samuel, Joann. Gualfridus: Exercitatio juris civilis
exhibens receptas lectiones ad Tanchinum
20. Wireschauer, Joann. Carolus: Programma, quo recitationes
inducit
21. Winkler, Carolus Gualfridus: De jure imperatoriae aequae
22. Zoller, Fridricus Gualfridus: Interpretatio l. 103 § 2 ff.
de leg 3. Programma, quo ad orationem imperatoriam iuri-
bus.

12010
7

N^o 20

1749, 93.

DISPUTATIO IVRIDICA
DECIMA QUINTA
**SELECTIONA IVRIS
PRINCIPIA**

AD
ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA
LIBRI X. SPECIMEN I. CONTINENS

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
INDVLTV
P R A E S I D E

IO. TOBIA RICHTERO
PHIL. ET I. V. D.

AD DIEM I. OCTOBR. A. C. N. MDCCLVIII.
H. L. Q. C.

PVBlice VENTILANDAM PROPONIT
IOANNES FRIDRICVS KVNCKEL.
LOEBAV. LVS.

L I P S I A E
LITTERIS LANGENHEMIIS.

K. D. Graff.



100
7

100

DISPUTATIO IURIDICA
DECIMA QUINTA
SELECTIORA IURIS
PRINCIPIA

ORDINEM DICESTORVM EXPOSITA
LIBRI X SPECIMEN H CONTINENS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
INSTITVTI
PRAESIDIS
IO. TORIA RICHTERO

AD DIEM 1. OCTOB. A. CM. MCCCLXXXIII.

AVGVSTAE
IOHANNES FRIDRICVS KANCKEL

K. B. Pr. 100





Q. D. B. V.

SELECTIORVM IURIS

PRINCIPIORVM

AD DIGESTORVM

LIBRVM X. SPECIMEN I.



I.

ria illa iudicia: finium regundorum, familiae herciscundae, et communi diuidendo a plerisque DD. mixta vocantur eo sensu, quod partim ex iure in re, partim simul ex iure ad rem, proficiscantur; at tamen haec mixta causa neque Legibus ad amissum probatur, neque iuris analogiae respondet. Contraria sententia longe firmiter est, et a IOANNE VOET*) rationibus grauissimis circumuallata.

A 2

uallata.

4 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

uallata. Omnes enim actiones tantum reales, veluti rei vindicatio, hereditatis petitio, etiam efficiunt ut reus ad praestaciones personales, videlicet ad eorum quae exegit, fructuumque restitutionem condemnetur,^{b)} et tamen mixtae non vocantur. Quid? quod et tria illa iudicia realibus accenseantur: c) nonne igitur eorum indoli iam conuenit, personales peti praestaciones? Ita quoque ipse VLPPIANVS^{d)} est intelligendus, quando ait: *familiae heriscundae iudicium, ex duobus constare, id est rebus atque praestacionibus, quae sunt personales actiones.* Deinde omnes, in dictis iudiciis, praestaciones personales non nisi ex accidenti occurrunt; nam fieri potest, ut nullus confinium, sociorum, aut coheredum, impensas fecerit, aut fructus perceperit, aut damna dederit, aliudue factum simile interposuerit, adeoque ut illa iudicia ob solam rei separationem, vel diuisionem salua quidem attamen tantum pro rei vindicatione sint. Vicissim in personam tantum vix vnquam competere possunt, quia sic nihil foret diuidendum; hinc et PAVLVS^{e)} ait: *cessat communi diuidendo iudicium, si res communis non sit;* idque DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS^{f)} Imperatores ita confirmant: *familiae heriscundae, vel com-*

communi diuidendo iudicio ita demum, si corpora maneat communia, agi potest. Non igitur actiones sunt confundendae, aut iura commiscenda cum alias nihil obstarit, quo minus actio emti venditi mixtis adnumeraretur. Quicquid vero ex Legibus de missa causa adduci potest, illud pro re nata, vel actionum cumulationem indicat, vel causam obligationis personalis quasi ex contractu descendit, demonstrat.

- a) Commentar. ad Pand. Lib. X. tit. 1. n. 4.
 b) L. 22. C. de R. V. L. 25. §. 18. ff. de hered. pet.
 Obst. L. 7. C. de petir. hered.
 c) L. 1. ff. L. 3. C. fin. regund. arg. L. 1. pr. L. 2. pr. L. 9. ff. famil. here.
 Obst. all. L. 1. ff. fin. reg. et §. 3. 4. I. de obligat. quae quasi ex contr. nasc.
 d) L. 22. §. 4. ff. fam. here.
 e) L. 1. ff. comm. diuid.
 f) L. 9. C. comm. vtriusque iudic. add. L. 6. §. 1. L. 11. ff. comm. diuid.
 Obst. §. 20. I. de action. Dissentiunt plerique.

II.

Actio finium regundorum, tam ad urbana, quam ad rustica praedia pertinet; datur enim ad fines confusos discernendos, *) adeoque omni casu, ubi fines confusi sunt, et aliqua directione vel directione indigent. Sic

6 SELECT. IURIS PRINCIPIA

PAVLVS ^{b)} hoc iudicium in confinio praediorum urbanorum locum habere testatur; Nam *et in vrbe*, inquit, *hortorum latitudo contingere potest, vt etiam finium regundorum agi possit*: quod vero horti in aedificiis constituti praediorum urbanorum appellatione contineantur, dubio caret. ^{c)} De praediis rusticis non est quod multa dicam, quia confundi agros facile posse, res ipsa loquitur; excipienda tamen sunt aedificia rustica iam extracta, quippe in quibus aliqua finium confusio vix animo concipi potest. ^{d)}

a) L. 2. §. 1. ff. fin. regund.

b) in L. 4. §. 10. in f. ff. eodem.

Obst. L. 2. pr. L. 4. §. 11. ff. eodem.

Diff. LVDOVICI Doctr. Pand. Libr. X. tit. 1. §. 3.

c) vid. Select. Iuris Princ. Disp. XIII. posit. 2. n. b) ibique all. L. 198. ff. d. V. S.

d) arg. L. 3. C. fin. regund.

Obst. L. 2. pr. ff. fin. reg.

III.

Diuisio hereditatis communis tantum inter coheredes obtinere potest; *nisi enim*, inquit GAIVS, ^{a)} *coheres sit, neque adiudicari quicquam ei oportet, nec aduersarius ei condemnandus est*. Neque animo concipi potest here-

hereditas communis, nisi plures eiusdem existant coheredes. Quoties quis igitur familiae heriscundae experiri vult cum effectu, necesse est, ut de ipsius iure coheredis constet. Si certum et indubitatum est ius illius, qui diuisionem vrget, res non indiget aliqua explanatione: Sin autem ius coheredis a reo negatur, actor vero eam partem possidet, locus non est hereditatis petitioni, quippe quae tantum ex iure hereditario aduersus possessores competit; b) hinc iudicium familiae heriscundae instituendum, et iudex apud quem illud agitur, in eiusmodi casu cognoscere tenetur, an actor coheres sit, qualis alias finiri nequit. Quodsi tamen actor partem hereditatis non possideat, et nihilominus familiae heriscundae experiatur, reus eum, per exceptionem deficientis iuris coheredis, merito excludit, c) quia diuidi non potest, de quo nondum constat, an sit commune, ac ius hereditarium, instituta hereditatis petitione, principaliter disquirendum est.

a) L. 1. §. 1. in f. ff. famil. herc.

b) L. 9. L. 10. §. 1. ff. de hered. petit. L. 1. §. 1. ff. si pars hered. petit.

c) all. L. 1. §. 1. ff. fam. herc. add. L. 1. §. 2. ff. si pars hered. petit.

Aliter

8 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

Aliter hanc rem, et mentem Gaii explicat LVDO-
VICI Doctr. Pand. Libr. X. tit. 2. §. 2.
Conf. VOET. Comm. ad Pand. Lib. X. tit. 2. n. 9.

IV.

Heredes, qui triginta annos in commu-
nitione steterunt, post illud tempus a commu-
nitione adhuc recedere, et iudicium familiae
heriscundae instituere possunt; nulli enim
actioni citius praescribitur, quam nata est: nasci-
tur autem familiae heriscundae actio demum
ex voluntate partium diuidere volentium, ^{a)}
quare tamdiu, quam diu coheredes diuide-
re noluerunt, non potest non actio manere
salua. Nec etiam, vti Glossa ^{b)} coniiicit, ex
tanti temporis tacurnitate colligi potest, quod
coheredes tamdiu in communionem permanen-
tes, in perpetuum in communionem manere co-
gitauerint; nulla enim societatis in aeternum
coitio est, ^{c)} et nemo potest societatem heredi
suo sic parere, vt ipse heres socius sit: ^{d)} quin-
imo ne pacto quidem effici potest, vt confor-
tes rem communem nunquam diuidant; ^{e)}
hinc quicquid expresse fieri Leges vetant, id ex
aduersa parte tacite, aut aliqua praescriptione
fieri, concedere profecto nequeunt. Quod si
vero aliquis coheredum ad diuisionem prouo-
cauit,

cauit, nata quidem est actio, et competere coepit, et lapsu triginta annorum finiri potest; ^{f)} sed hoc ita capiendum est, ut iam omne ius hereditarium extinctum sit, ac ille, qui negligens fuit, a iure suo et hereditatis parte penitus censeatur exclusus: non vero, quod aliis visum, ut coheredes nunc in communione perpetua velle manere videantur.

- a) L. 1. pr. ff. famil. hercif.
 b) in verbis: *Cum suis*, in L. 1. §. 1. C. de ann. except.
 c) L. 70. ff. pro socio.
 d) L. 35. ff. eod.
 e) L. 14. §. 2. ff. Communi diuid. Conf. BRONCHORST
 ΕΥΑΝΤΙΟΦΑΝΩΝ Cent. I. assert. 62.
 Obst. L. 1. §. 1. C. de annal. except.
 f) L. 1. §. 1. C. de annal. except.

V.

Hereditatis communis diuisio extraiudicialis semel legitime facta, non nisi ob enormem, id est ultra dimidium, laesionem, rescinditur. Nam sicut in emtione venditione tanquam bonae fidei negotio, humanum est, enormem corrigere laesionem, ^{a)} alias vero contrahentibus, se inuicem circumscribere licet, ^{b)} ita in diuisione hereditatis communis idem iuris est. Nimirum est eiusmodi diuisio

B

nego-

IO SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

negotium bonae fidei, ^{c)} ac diuisiones vices emtionis et permutationis obtinere placuit; ^{d)} quare nec aliud in iis, quam in emtionibus, venditionibus, circa laesionem obseruandum erit. Neque aliter intelligi poterit constitutio DIOCLETIANI et MAXIMIANI ^{e)} Imperatorum: *Maioribus etiam per fraudem vel dolum, vel perperam sine iudicio factis diuisionibus, solet subueniri: quia in bonae fidei iudiciis, quod inaequaliter factum esse constiterit, in melius reformabitur;* nam in ipsa Lege de minoris laesionis reparatione expressim nihil habetur, et praeterea Lex ex Lege explicanda est. Facta vero iudiciali diuisione, ne quidem ob enormem laesionem admitto rescissionem, quia standum est rebus iudicatis, ^{f)} et id, quod ob actionem familiae heriscundae ex causa iudicati solutum est, repeti nequit: ^{g)} doli vero exceptionem iudicati agenti posse opponi, ^{h)} me tacente manifestum est.

a) L. 2. C. de resc. vend.

b) L. 16. §. 4. ff. de minoribus L. 22. §. 3. L. 23. ff. locat. cond.

c) arg. §. 28. I. de action.

d) L. 20. §. 3. ff. famil. herc. L. 77. §. 18. ff. de legat. II. L. 1. C. comm. vtriusque iud.

Diff. LAVTERB. Concl. Forens. Exerc. XX. concl. 9. ob L. 3. C. comm. vtriusque iud.

e) in

AD DIGEST. LIB. X. SPECIM. I. II

- e) in L. 3. C. comm. vtriusque iud.
 f) L. 1. 2. 4. C. de re iudic.
 g) L. 36. ff. fam. herc.

Diff. 10. VOET. Comm. ad Pand. Lib. X. t. 2. n. 35.
 ob arg. L. II. C. de praed. et aliis rebus minor.
 L. 16. C. de resc. vend. L. 2. C. de fide et iure
 haetae fife.

- h) L. 1. C. de re iud.

VI.

Diuisione rerum hereditariarum inter coheredes facta, et rebus quibusdam, singulis iam adiudicatis, euictis, omnes coheredes pro parte rei euictae detrimentum agnoscere, ac de euictione teneri certissimum est; ^{a)} res enim diuisa communis erat, quare vt detrimentum, quod ipsi rei cohaeret, non minus commune fit, necesse est. Vbi vero ipse testator diuisionem inter coheredes fecit, ego quidem, euicta vnus cuiusuis parte, cum ceteris coheredibus de euictione actionem non esse, statuo; nam in eiusmodi casu, sicut in genere, testatoris voluntas spectanda, ^{b)} cui in se clarae atque perspicuae, vt obtemperetur, aperte iubet Imperator GORDIANVS. ^{c)} Neque nocet quod aliquis heredum scriptorum nihil capiat ex vltima voluntate; nullibi enim constitutum est, quod plures ex vno testamento

12 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

necessitate quadam succedant: neque nouum est aut insolitum, quod pars quaedam vltimae voluntatis sit inutilis et effectu destituta. Quod autem haec omnia de heredibus, quibus debetur legitima, intelligi nequeant, non est quod moneam.

- a) arg. L. 66. §. 3. ff. de euis. L. 14. C. fam. herisc. et L. 7. C. comm. vtriusque iud.
- b) L. 77. §. 2. ff. de legat. II.
- c) L. 10. C. fam. herc.

Diff. LAUTERBACH. Concl. Forens. Exerc. XX.
concl. 8. ob L. 77. §. 2. de Legat. II.

VII.

In communi diuidendo iudicio rei diuisio quidem principaliter venit, ^{a)} quia totum hoc iudicium cessat, si res communis non est; ^{b)} at veniunt tamen quoque praestationes personales, ^{c)} quia est bonae fidei iudicium, adeoque ad omnia diuidenda et aequalitatem obseruandam tendit. ^{d)} Vt autem de causa praestationum personalium apertius constaret, in casu, vbi quis iam aliunde obligatus non erat, introducta est quasi ex contractu obligatio, ^{e)} cuius actio tanto rectius cum illo iudicio reali cumulatur, quanto minus bona fides patitur, vt

vt quis locupletior fiat cum alterius damno, aut alter alterius culpa detrimenti quid sentiat. Quid si vero res sit inter socios, qui ex contractu societatis inuicem sibi tenentur? Respondeo, hoc casu opus non esse obligationis quasi ex contractu fundamento, quod et ipse imperator IVSTINIANVS ^{f)} affirmat, sed vel cum iudicio reali actionem pro socio quoad praestaciones personales, cumulari posse, vel facta etiam diuisione pro socio agi, cum, etsi finita sit societas, non tamen praestaciones ex contractu debitae statim censeantur sublatae. Quibus consideratis intellectu facilimum est, quod PAVLVS ^{g)} ait: *pro socio actio magis ad personales inuicem praestaciones pertinet, quam ad communium rerum diuisionem*; cuius Legis subtili interpretatione ab HVBERO ^{h)} excogitata, iam possumus carere.

a) L. 4. §. 3. ff. Comm. diuid.

b) L. 1. in f. ff. cod.

c) L. 4. §. 3. ff. cod.

d) all. L. 4. §. 2. ff. cod.

e) §. 3. l. de oblig. quae quasi ex contr. conf. h. Dist. pos. I.

f) all. §. 3. l. de obl. quae quasi ex contr. verbis: *sine societate*, item: *non intelligitur ex contractu proprie obligatus*.

Obst. L. 11. ff. comm. diu.

14 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

g) in L. 1. ff. comm. diu.

h) Praelect. ad Pandect. Lib. X. tit. 3. §. 2.

VIII.

Filio praedia paterna vindicaturus, quamvis illa sibi, cum diu absens fuit, ignota esse dicat, actio ad exhibendum competere nequit; *nam exhibere, inquit PAVLVS, a) est facere in publico potestatem; ut ei, qui agit, experiundi sit copia:* an autem id fieri possit in rebus immobilibus et fundis, quorum in publico unicuique iam est potestas, ego quidem valde dubito. Quidsi etiam ipse possessor ignoraret, quaenam ex praediis suis, ad actoris praedia quondam paterna pertinuerint? Potest igitur eiusmodi actor ea in re potius aliorum consilio uti, atque sic fundi forte vindicandi situm sibi notum facere, quam notitiam quoque ideo facile impetrabit, quoniam agricolae plerumque agrorum partitionem factis exacte sciunt, dominosque fundorum optime nominare possunt.

a) L. 2. ff. ad exhibend.

Dissent. LUDOVICI Doctr. Pand. Lib. X. tit. 4.

§. 4. ibique all. STRYK. ad LAVTERB. cod. tit. voc. incognitae.

XI. Ait

IX.

Ait VLPIANVS: ^{a)} *Item, si optare velim seruum, vel quam aliam rem, cuius optio mihi relicta est, ad exhibendum me agere posse, constat, vt exhibitis possim vindicare.* Qua in Lege et potissimum in verbis: *vt exhibitis possim vindicare*, abrupti sermonis hiatum se prodere, eumque geminationis ope emendandum esse arbitratur saepe laudatus BESTIVS. ^{b)} Ita tandem suam adiicit mentem: *nemo non mecum leget in posterum, vt ex exhibitis possim vindicare.* Quamuis vero geminationis usum in Legibus intelligendis esse interdum posse, haud penitus inficiat; hoc tamen loco geminationem parum vtilitatis habere res ipsa loquitur. Quilibet sane intelligit, vocem *exhibitis*, idem hic significare, ac *postquam omnes serui vel omnes res exhibitae fuerunt.* Et verosimillimum est, Vlpianum breuitatis causa hic ita locutum esse.

a) in L. 3. §. 6. ff. ad exhibend.

b) in Tr. Ratio emendandi Leges. c. XII. §. 1.

X

Exceptiones quaedam exhibitionem postulanti opponi omnino possunt; VLPIANVS) enim refert a Pomponio traditum esse: *iudicem per arbitrium sibi ex hac actione commissum, etiam*

etiam exceptiones aestimare, quas possessor obii-
cit. Quenam vero in hac actione aestiman-
dae sint exceptiones, id altioris adhuc indagi-
nis esse videtur. Utamur principio in eadem
laudata Lege ^{b)} proposito: *Iudex igitur sum-
matim debet cognoscere, an eius intersit, non an
eius res sit, et sic iubere vel exhiberi; vel non,
quia nihil interest.* Patet ex his verbis, actio-
nem ad exhibendum, dari tantum illi cuius in-
terest, atque an intersit, disquirendum esse,
quinimo summatim, id est breuiter cognoscen-
dum esse. Quaecunque igitur exceptiones tam
sunt euidentis, ut statim repellant agentem,
eae propterea hic admittendae sunt, ne absque
actoris iure et ratione quis condemnetur: quae
vero sunt obscuriores vel altiores habent quae-
stionem, illae merito hic omittuntur, quippe
quas indoles huius iudicii, quod summarium
et praeparatorium est, non admittit. In his
tandem, quae sunt altioris indaginis, eas ex-
cipio, quae totum ius exhibitionem petentis
interuertere videntur, quales sunt, pacti conuen-
ti, doli mali, iurisiurandi, rei quae iudicata est;
de his enim ipse Ictus^{c)} ait: ipsum disceptare
debere, qui ad exhibendum actione iudicat.

a) L. 3. §. 13. ff. ad exhib.

b) all. L. 3. §. 9. ff. eod.

c) all. L. 3. §. 13. in f. ff. eod.



VOIP


ULB Halle	3
004 073 258	
	

VOIP

56.







Farbkarte #13

B.I.G.

12010
7

N^o 20

1749/93.

DISPUTATIO IURIDICA
DECIMA QUINTA
**SELECTIORA IURIS
PRINCIPIA**

A D

ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA
LIBRI X. SPECIMEN I. CONTINENS

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

INDVLTV

P R A E S I D E

IO. TOBIA RICHTERO

PHIL. ET I. V. D.

AD DIEM I. OCTOBR. A. C. N. MDCCXLVIII.

H. L. Q. C.

PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT

IOANNES FRIDRICVS KVNCKEL.

LOEBAV. LVS.

L I P S I A E

LITTERIS LANGENHEMIIS.

K. D. Graaf.

